

**Joh. Ernesti Schaperi, Med. Dr. ... Dissertatio epistolica ad virum
per-illustrem et excellentissimum Dn. Godfridum Guilielmum de Leibniz ...
de hydrophthalmia intercepta / Quam ... autor ... proponit ... respondente
Joh. Ludovico Schapero.**

Contributors

Schaper, Johann Ernst, 1668-1721

Schaper, Johann Ludwig

Leibniz, Gottfried Wilhelm, Freiherr von, 1646-1716

Universität Rostock

Publication/Creation

Rostochii : Typis Joh. Wepplingii ..., [1713]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/m87yqejd>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

45
44
JOH. ERNESTI SCHAPERI,
Med. Dr. ejusque Prof. Publ. Duc. Prim. & Ord. Fac. Senioris
& Smi Ducis Regentis Meclenburgici Consilarii
Aulici, & Archiatri, h. ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS

PRO-RECTORIS
DISSERTATIO EPISTOLICA

AD

VIRUM PER-ILLUSTREM ET EXCELLENTISSIMUM,

**DN. GODFRIDUM
GUILLIELMUM
de LEIBNIZ,**

SACRÆ CÆSARÆ MAJESTATIS CONSILIARIUM
AULICUM, SERENISSIMI AC POTENTISSIMI ELECTORIS BRUN-
SVICENSIS CONSILIARIUM INTIMUM, ET REGIÆ PRUS-
SICÆ SCIENTIARUM SOCIETATIS PRÆSIDEM,
POLYHISTOREM CONSUMMATISSIMUM,

DE

**HYDROPTHALMIA
INTERCEPTA,**

QVAM

DISPUTATIONIS PUBLICÆ LOCO,

AUTOR

AD DIEM XVI. AUGUSTI AN. MDCCXIII.

PROPONIT

IN AUDITORIO MAJORI

RESPONDENTE

JOH. LUDOVICO SCHAPERO, Lufato.

ROSTOCHII, TYPIS JOH. WEPPLINGII, SER. PRINC. ET UNIV. TYPOGR.

JOH. ERNESTI SCHAEFER

DISSENTATIO

DE
GOUTTE
DE L'URINE

DE
GOUTTE
DE L'URINE

HYDROPHthalmia
INTERCEPTA

DISSENTATIO

DE

IN

JOH. ERNESTI SCHAEFER

JOH. ERNESTI SCHAEFER

Vir Per-Illustris & Excellentissime,
DNE. FAUTOR Colendissime,



Biennium est, & quod
excurrit, ubi singulari occasione
id felicitatis mihi contigit, ut Be-
rolinicum ad SERENISSIMI AC
POTENTISSIMI PRUSSIAE RE-
GIS jam gloriosissimæ memoriæ
mandatum clementissimum illic
ob SERENISSIMÆ AC POTEN-

TISSIMÆ REGINÆ jam pro-
VIDUÆ morbum com-
morarer, ego eodem exceptus hospitio utriusque no-
strum habitaculum proximâ vicinitate gauderet, quâ
desiderii mei jam dudum impensè ex voto compos fie-
bam, ut qui Te ob singularem eruditionis omni-
genæ profundissimæ famam & scripta ejusdem eruditi-
onis celeberrima ad superstitionem penè, sed tacito ha-
ctenus animi assensu veneratus eram, jam coram con-
testari meam Venerationem, & in Tuum Favorem &
amicitiam recipi, ac Tuorum numero tuis tam huma-
nissimis verborum lenociniis adscribi, ac suavissimâ
conversatone Tuâ multiplici honorari possem. Diffiteri

hinc nequeo, ex quo VIR PER-ILLUSTRIS amicitiae & favoris tui fores mihi tam humanissime aperuisti, ex eò memoriā humanitatis & singularis tuæ in me benevolentiae animum sustentavi, quæ eam in me excitavit fiduciam, ut Literis hisce TE affari in animum non tantum induxerim, sed tacitam hætenus Tui Venerationem nunc apertā hujus Dissertationis Epistolaris transmissione simul contester, potissimum cum Tuo VIR PER-ILLUSTRIS, inclytæ scientiarum Regiæ societatis Prussicæ Præsidio illustri, cui & ego solenni diplomate per annos duodecim Tuo suffragio annumeratus ad id institutum excitatus sim. Nam cum variò sub nostrò colloquiò, quò varia rerum variarum & Physica & Medica misceremus, & ego casum recenserem medicum, qui in cujusdam contigit oculo ad hydrophthalmiam properans, nisi maturè fuisset intercepta, & casus & circumstantiæ intercurrentes tuum obtinebant assensum, & observationem hanc eruditorum notitiā dignam judicabas; Nec defuissem huic tuo prudenti consilio, nisi negotiis cumulatis partim impeditus fuisset, partim etiam ut rei factæ ulterius temporis concederem spatium, quò numerosioriañorum decursu eò major factæ felicissimæ restitutionis securitas probari simul posset, siquidem quinquennium jam ferè præterlapsum est, ubi nulla factæ operationis secuta est mutatio, sed restitutio & ulterioris malì progressus inhibitio per Dei gratiam adhuc dum sine vitus læsione constans est, ut nullus dubitem, fore oculum restitutum ab ulteriori mutatione s. recidivâ liberum.

Ea propter hodiè meum institutum exequor, & illud Tibi Societatis scientiarum Regiæ PRÆSIDI PER-ILLUSTRI, & eruditorum facile Principi, qui
omni-

omnino inter eruditorum lumina publico suffragio positus es, debite consecro, & quancquam diffiteri nequeam, vix tantum Tibi otii superesse à negotiis & curiæ & aulæ & aliis gravioribus publicis, ut his vacare studiis queas, aut cum & post Reipublicæ & aliorum negotiorum non minorum curas, & ad hæc studia & Physica & Medica Te secessisse aut non infrugiferum, aut non ingratum habeas, quorum jam plura illustria eruditissimis ejusmodi scriptis dedisti experimenta, quæ ex merito admiramur, & jam dudum hinc Polyhistoris consummatissimi titulum optimum Tibi compararunt, nec aliter porro Exteri Te venerati sunt, & adhuc venerantur, cum meritis tuis inter eruditos plane singularibus excelso & illustri loco positis hoc nostro orbe faciem eruditæ præfers, & eruditionis inexplebili famâ omnes eruditos Te admirandi & venerandi cupiditate accendis, me pariter ita accendisti, ut sine ulteriori excusatione ad ipsam rem me accingam, & casum eruditæ communicandum hodie aperiam.

Nimirum, ut jam superius dixi, quinquennium ferè jam est absolutum, ubi die scilicet 10 octobris Anni 1708. me conveniebant Parentes Virginis Filiæ è generosâ antiquâ Prosapiâ orti in Ducatu Meclenburgico viventes, & simul Filiæ dictæ enatum in oculo ejus dextro præternaturale mihi ostendebant, cumque ad adspectum ejus inquirerem, quamdiu & quâ occasione illud esset enatum; & Parentes & Filia, quæ ad maturam jam ætatem pervenerat, recensabant, tuberculum illud sensim sine omni præcedaneâ violentâ causâ enatum esse, nisi quod opthalmi iâ sat gravi laboraverit, & initio capituli aciculæ majoris magnitudinem re-

tulisse ; usque dum sensim & sensim auctum , jam p̄si minoris magnitudinem referret , & ad majoris eam properaret , hocce addito , qv̄od variis qv̄idem jam usi sint consiliis & remediis , ast hactenus sine omni successu , unde tandem & me accedentes meum implorabant auxilium & Parentes & ipsa Filia.

Desiderio petentium igitur cum deesse non valerem, paulo curatius enatum hocce tuberculum examinabam , & illud in oculi dextri albugine prop̄e sub pupillâ , à cujus termino ultra straminis latitudinem , vix distabat , adeò prominens reperiēbam , ut palpebram inferiorem non tantum protruderet, eòqve ipsò elevationem in illa oculi ipsius parte notabilem produceret , sed qv̄oties interior palpebra paululum deorsum trahebatur , toties supra eam elevatum tuberculum depressam servabat palpebram , usque dum manus adminiculò palpebra huic tuberculo iterum obducebatur.

His circumstantiis detectis , addebantur sub examine hujus tuberculi aliæ , nimirum apparebat illud valdè opacum , & ad levissimum & providum attactum , qv̄o nec inde violentia metui , nec ulterior sequi noxa poterat , simul durum erat ad corneam accedens duritiem. Porro in mediâ oculi albugine si distantia ex oculorum canthis numerabatur , ordinariò erat reperibile , sed simul mobile , ut jam dextrorsum jam sinistrorsum facile cederet , pariter nonnihil deorsum moveri posset , sursum autem illud movere non tentabam , ne jam tum pupillæ satis vicinum in illam non sine majori aut noxâ , aut ad minimum noxæ periculo iridi ejusqve processibus ciliaribus imminenti protruderetur. De sensu ex hujus tuberculi situ cum
eti am

etiam inquirerem, Virgo Generosissima referebat; quod iste non dolorosus, sed expansioni factæ similis sit, Es denckte ihr als wäre etwas im Auge ausgespannet oder ausgezehnet / nec mutabatur sub facto provido & securo attactu.

Sub hoc tuberculi statu autem & ægra & Parentes metuebant ejus augmentum insigne, cum illud quotidiè augeri, & ad pisi jam majoris magnitudinem comite sensu expansivo properare viderent, Sic Filia Virgo Generosissima & omnibus sui sexus virtutibus eminentissima ad indolem sexus sequioris consuetam, nec illaudabilem planè, suam, quam benigna natura ipsi haud infrequenter dederat formositatem, non negligens cum Parentibus de difformi contristata erat oculo & visus tanquam Dei singularis doni metuebat privationem. Ad omnia igitur sustinenda, quibus ab hōc liberari tuberculō, sicque ab omni ulteriori malo præservari posset, se offerebat ægra, imprimis cum in deterius ruere tuberculum adverteretur. Unde precibus ad desiderium pro possibili implendum commotus, evadebam magis sollicitus, & omnes impendebam curas, easque eò majores, quò magnitudo casus non urgeret alias.

Nec dubito, fore quēquam, qui casum hunc non magni æstimet, cum in parte sit tali, quam quilibet habet maximi, siquidem injurias, molestias, dolores, pericula, in quacunque corporis parte aliā citius & libentius sustinere mortales advertimus, & manuum pedumque amputationem patientius ferre, quàm ut oculo privari velint, adeò, ut in perisvasissimis habeam, reperiri paucissimos, ferè dixerim nullos, qui ad evitandam proclivem peccandi occasionem jussam in sacris oculi eradicationem juxta Locum *Matthæi* 18. v. 9. realiter & sic cum

um effectu admitterent, adeo ut talis casus non facile dabilis, sed fictus mansurus sit, quocunque modo ad meliorem studii nostri in scandalo vitando necessari declarationem, & sanctitatis ultra integritatem corporis æstimandæ demonstratio fieret, ut potius hinc aliis vel dolorosissimis molestissimisque modis sui corporis abulum, & peccandi libidinem coerceri, quàm oculi vel unius privatione permitterent.

Nec immerito, nam adhuc sub iudice lis est, an majus inferri damnum possit, quàm quod oculi privatione infertur? Nonne enim deplorandum est infortunium, cum cæcus cimmeriis continuis involutus tenebris objecta suæ manus tactu judicare & determinare videtur, & quanquam quis oculis carens ad celebratissimi illius cæci manus oculatas perveniret, ut colores omnes & variegatos dijudicaret, major tamen si non fides, delectamentum tamen majus est, si oculis & colores & objecta videri possunt omnia.

Facile sic visus tanquam præ reliquis excellentior sensus admitti potest, aut si disputari id adhuc vellet, non infimus inter reliquos habendus est; nam oculi structura æq; admiranda est, ac organorum sensibus excitandis reliquis inservientium ea reperitur. Hinc quoties consideramus oculorum actionis celeritatem, & motus perennitatem, unâ cum vigore ac splendore verè igneo, & attendimus ad concordem humorum triplicem discordiam, dum & consistentiâ & pondere variant, & certant pelluciditate, in unum autem scopum colli mantes, facile confitemur, eos omnem humani ingenii captum superare, quemadmodum aquosi mira fluiditas, vitrei singularis consistentia, & crystallini miranda firmitas, ejusque in vitreum insertio mirabilis, ut tanquam gemma

ma gemmæ inserta splendeat & omnium insuper mirifica pelluciditas & refulgentia dictorum testes omni exceptione majores sunt & singulare Dei omnipotentis probant artificium.

Hæc elegans & mirabilis oculi structura, & inde visus mirabiles effectus sine dubio Medicos commoverunt, ut & humores in eo reperibiles & potissimum vitreum & crystallinum examinarent, unde eos quidam vel juxta pondera metiti sunt, quemadmodum hinc, *Dn. Brigs* humorem crystallinum quoad pondus, aqueum bis excedere, & crystallinum â vitreo plusquam duodecies superari dicit, *in ophthalmograph* p. 70. quidam densitatis quoque gradus examinant, quemadmodum idem citatus *Dn. Brigs* cit. loc. p. 70. asserit, quod crystallinus humorum vitreum ter, aqueum verò decies superare videatur, & *Bartholinus* hinc de extensione omnium oculi humorum referens, crystallino vitreum quintuplo majorem, & duplo majorem aqueo dicit, *in Anat. reform.* p. 619. *Leuwenhæck* ut in omnibus, ita etiam in humore crystallino & vitreo suis microscopiis eos examinando curiosus est, & hinc è circulatorum in motum contortis particulis squammosis filamentis sibi ante connexis s. fibris formatis constare humorem crystallinum non tantum dicit, sed eum æq; musculum crystallinum vocat, quasi corpus crystallinum pelliculæ è fibris motricibus constanti inclusum sit, ac vitreum humorem musculum nominat pellucidum, *Anat. rer. animat. & inanimat.* p. 50. & p. 102.

Et quanquam receptâ Anatomicorum quorundam assertione uterque humor propriâ gaudere membranâ dicatur, quarum altera vitrea, altera crystallina dici solet, non tamen facile ea penitus si negari non debeat, ejus

consistentiæ admittetur, ut musculus dici mereatur, si-
quidem summa lentis illius cum limpidissimâ certans
aquâ pelluciditas, de fibrillis ibi reperibilibus motrici-
bus circa utrumque humorem dubitare meritò facit, ,
dum præter id, quod suâ substantiâ uterque humor non-
nisi gelatina quædam sit, sic membrana utriusque in-
credibiliter tenuis nonnisi vel sub aëris diutinâ exposi-
tione, vel exsiccatione utriusque lentâ conspicitur. Et
licet sic tenuissimis membranulis quasi per utriculo-
rum modum succingi videatur, non verò ultra aliam
analogiam, quàm quando aut in lactis, aut alterius te-
nuis pulpæ superficie membranulam enatam videmus,
extendi potest; quo ipso autem membranulam talem
ex implicitis filamentis & fibris motricibus formatam
dicere non possumus, quemadmodum hinc etiam ipse
Leurwenhæck in tali membranâ alio tempore fibras nec
agnoscere, nec earum genesin detegere potuit, ut vide-
re est cit. Lib. p. 50. Ut taceam, quod & alia ad motum
fibrarum motricium requisita desint, & præterea nec
peculiaris, nec activus adeò motus reperiatur, aut requi-
ratur, sed sufficiat, quod humor vitreus ut oculi fun-
dum replet, & ejus tunicas distentas servat, ita vicissim
â crassissimis iisdem oculi tunicis constringatur, & sic
in rotunditatem oculi sufficientem coactus æquabile
& constans crystallini humoris receptaculum consti-
tuat, cui crystallinus humor ut gemma gemmæ in-
situs manet.

Ut autem humor vitreus oculi replet fundum &
crystallini stabile constituit receptaculum, ita aqueus
humor tenuissimæ fluiditatis oculi anteriorem potissi-
mum occupat partem, & omnes simul replent oculorum
cavitatem, quæ â tunicis eos ambientibus formatur.

In præ-

Inpræsentiarum circa huius pro visu triumvirati humoris considerationem non equidem valdè sollicitus essem, nisi ob connexionem addere relationem ejus historicam necesse sit; ea propter eorum materiam quoad ortum è sanguine quidem prodiisse, & humoris aquei adhuc quotidianum inde fieri proventum, non dubitandum est, siquidem sanguis & roscidam s. gelatinosam æquè largiri potuit & largitus est materiam, quâ & crySTALLINUS, & vitreus humor omni fundamentò constare habetur, ac serosum pro oculi cavitate replenda primò largitus est, & hodiè largitur. Sed quibus vasis horum omnium facta sit separatio, nondum adeò apodicticè est evictum, hinc quorundam doctrinâ per peculiare suppositos ductus æquè & crySTALLINUM & vitreum, & initio sub formatione utriusque secretum, & per eosdem utrumque servari legimus, ut aqueum humorem per ductus peculiare aquosos dictos quotidie & debitâ affluere copiâ & restitui *Nuckius* docet. E contrario apud alios & potissimum *Clariss. Brigs* in foetu humor crySTALLINUS primò sub formâ guttulæ roscidæ è nervo optico in oculi cavitatem (pariter ac ovum è cæco tubæ Fallopiæ ductu in uterum) delabatur, quæ à cambio nervi lentè destillanti aucta in formam humoris crySTALLINI faceffit, postea verò succus nutritius (foetu ferè perfectè formato) uberiori copiâ forsan ad oculi fundum devolvitur, & in vitrei humoris nutrimentum cedit, ut ita censet cit. *Dn. Brigs, in ophthalmogr. p. 70 & 71*.

Nec deficiunt hisce differentibus sententiis rationes, nam ad tale quid factum & fieri secretionem opus esse, tam certum, quàm quod certissimum est, Sicæq; gelatinosum, quò & vitreus & crySTALLINUS humor constat, ac serosum humoris aquei substantia à sanguinis purpu-

râ secedere debet, ut secedit, hæc circumstantia militat pro instrumentis s. vasis peculiaribus secretoriis, quibus dicti & gelatinosi & serosi tum colatura fit, tum cavitatem oculi deducitur, ut hinc non mirandum sit, si pro iis reperiatur sententia. Sed quomodo ista ex arteriis formata sint, ut esse debent, adhuc sub iudice lis est, & sub eâ lite nova ex eô emergit difficultas, quod si secretorii ductus pro humore vitreo & crySTALLINO adessent peculiares, ut ejus generis similes aliis prospiciunt partibus, & porro omni momento suô defunguntur munere, idem hic & fieri & reperiri deberet. Hoc autem suppositô sic utriusque humoris dicti augmentum quotidianum esset, & partim oculorum deformis metuenda esset expansio, & partim sub illo vel paucissimo & quidem sub unius tantum guttulæ copiâ affluxu novi gelatinosi s. roscidi ad utrumque humorem turba in visu non levis induceretur, eousque ad minimum durans, quousque novitia gutta pristinis intimè ac ordine debito unitis nondum intimè unita esset. Sed dum crescunt seu expanduntur oculi cum auctâ ætate ad maturam usque eam cum humorum proportionem geometricâ juxta eorum auctam cavitatem, sine visus ullâ nec minimâ turbâ, utriusque ulterior appositio ad minimum dubia est, si negari non debet.

Et hæc circumstantia etiam *Dni. Brigs* sententiæ difficultatem parere videtur. Siquidem ut ut aliàs id non impossibile haberi queat, quod è nervo optico in fœtu humor crySTALLINUS primò sub formâ guttæ roscidæ in cavitatem delapsus, & ea prima in crySTALLINI & succedentes plures guttæ in vitrei humoris formam fa-
 ● cesserit, nam dum fœtus cerebrum è limpidissimâ primum, ex quâ constat aquâ, in fluidum coagulum abit,
 Juxta

juxta *Harvæi Obs. de Generat. animal. Exercit. 56. p. 237.* & inde in paulo solidiorem scil. glutinosam substantiam, sensim mutatur, & ea variè reflexa in varios pororum meandros formata, nervorum variorum fibras & ipsos nervos, & sic pariter nervorum opticorum thalamos format; facile sic est, ut sub nervorum opticorum protunicæ retinæ formatione & roscidi seu gelatinosi quicquam in oculi cavitatem depluat, idque eò facilius, cum nervi optici non in majora abierint vasa, sed totidem à se invicem diversæ manserint fibræ, per quarum interstitia ante obtentam firmitatem necessariam & inductum nervis corticem utrumque satis firmum, sic roscidæ guttæ pro humoris crySTALLINI & vitrei existentia, primò elabi possunt. Cum autem succus nervi nutritius ad vitrei potissimum nutrimentum requiri debeat, de cujus tamen existentia adhuc disputatur, & ille si daretur, & à primâ in adultam ætatem adesse & per nervum opticum pro vitrei humoris nutrimento affluere deberet, ad minimum notabilem, si non quid aliud adhuc, visus turbam induceret, & insuper periculum non inane oriretur, annon hicce succus nervi nutritius amaurosis causâ frequentior esset, quàm ut in nutrimentum vitrei abiret, siquidem iste nec aliter, quàm tardi motus concipi potest, ut hinc lentè destillari ab ipso *Dn. Brigs* asseratur, unde facilitate si non majori, pari tamen & eâdem in nervis opticis pro inevitabili amaurosis effectui hæreret, quâ pro nutrimento vitrei humoris ad ejus superficiem sine ullâ insuper visus turbâ destillaret.

Hæc si ponderentur facile scrupulum movere possent, ut de augmento humoris crySTALLINI & vitrei semel formati, aut per ductus peculiare, aut per nervos opti-

cos adductō meritō dubitetur, & quanquam pro re-
plendā per ætatem ad maturam eam properantem ocu-
lorum majori cavitare non modo id necessarium videat-
tur, sed habendum sit, probabilius tamen salvā alio-
rum sententiā, videtur, non per affluens novum rosci-
dum & eidem succedaneam appositionem summē aliās
necessariam ejus augmentum fieri, sed quod humores
cristallinus scil. & vitreus, postquam sub foetu maturo
uterque suum nactus est ortum, per expansionem hu-
moris potissimum vitrei juxta numerum ætatis len-
tam à spiritibus animalibus ut inceptam, sic quoque su-
stentatam, majores fiant. Et id illustrent circumstantiæ
simul hic reperibiles aliæ, siquidem ut spiritus anima-
les omnibus & circulantibus & per colatoria secedaneis
humoribus se insinuant, ita nulla disparitatis ratio est,
curnec circa humores & vitreum & cristallinum idem
fieri posset, ubi nervi optici tanquam canales spiritu-
um non tantum proximi sunt, sed & eorum capilla-
mentorum copiosorum in tunicam retinam facta ex-
pansio vicinitate copiam spirituum largiuntur, & si
uterque horum nervorum cortex aut integumentum
duplicatum consideretur, nonnisi cum nerveæ textu-
ræ sit, dum piâ matre uvea, & durâ matre cornea for-
mata conspicitur, si nec istæ largiantur spiritus, tamen
non impediunt spirituum præsentiam, sic cum undiqua-
que præsentis spiritus sint, suum quoque sortiuntur,
spiritus effectum, & proportionatum & necessarium.

Et quanquam spiritus animales, qui ordinariò
motus non facilis modo, sed & celerrimi sint, vitrei
& cristallini gelatinæ angulis & hamis in motu suò
consueto sic retardari debeant, & retardentur, non
tamen prorsus impediri uterque potest, sed tempera-
tur,

tur, quod necessarium est, unde quamdiu aliqualem
uterque humor mollitiem servat talem, ut ut eâ scil. ce-
dendo spirituum consuetum motum illudat; simul ta-
men lentè cedendo, lentè etiam in majus expanditur
spatium, donec ad naturale illud expansum pro ætatis
conditione pervenerit, quæ expansio sic utriusque &
cristallini & vitrei humoris à spiritibus animalibus sub
auræ subtilissimæ indolis influxu eodem modò sine vi-
sus turbâ & absolvitur, & sustentatur, quemadmodum
in officinis vitriariorum liquidas adhuc vitri partes
antequam soliditatem ab aëre ambiente obtinent, levī
aëris halitu sine lucis turbâ æquè expandi videmus.
Humoris autem aquei ortum & progressum quod atti-
net, *celeberrimus Nuckius* peculiare ductus aquosos ipsi
tribuit, & per eos illum & in cavitatem fluere, & re-
stitui brevi spatio multis experimentis demonstrat.

Hic autem humorum oculi triumviratus suis in-
volutus reperitur tunicis, è quarum proxima hu-
moribus retina est, quæ nonnisi nervi optici medulla-
ris fibrosæ substantiæ in velum retiforme expansio
est, & hæ fibrillæ nervi optici manifestissimè conspi-
ciuntur, si retina aquæ limpidissimæ nonnihil calidæ
immissa, postea lumini vel soli obversa examinetur, quâ
methodo juxta obs. *Brigs* se ipsam protinus expandit,
& fibrillas manifestissimè distinctas prodit.

Retinæ huic immediatè succedit Choroides, hæc
ab interiori nervorum optidorum cortice s. invo-
lucro piâ scil. matre producta à fundo oculi ad pupillæ
locum usque protenditur, & sic antè ubi uvea di-
citur perforata aperturam pro oculi pupillâ relinquit,
& juxta extimam hujus tunicæ pro pupillæ aperturâ
dehiscens oram duplicata est, & suô sic duplicaturæ
circu-

circulari limbô pupillam jam dilatatam jam constri-
ctam reddit, & eâdem continuatâ ex una parte proxi-
mâ per corneam transparente pupillæ iridem tanquam
latiorem annulum eumque varii coloris circumducit,
& sic ex alia parte ligamentum ciliare, & ejus processus
ciliares dictos efformat, qui ex fibris motricibus pe-
ctinatim dispositis constantes, & humori incumbentes
crystallino eum pro re nata & antrorsum movent &
retrorsum versus remittunt, prout processuum ciliarium
vel dilatatio vel constrictio fit, ut sic à quibusdam
motum branchiarum in piscibus reciprocâ quadan-
tenus æmulari habeantur.

Iridem verò oculi dum inspicimus, è triplici cir-
culô compositam nunc cœsii, nunc cœrulei, nunc ni-
gricantis advertitur coloris, à cujus colore oculi co-
lorati dicuntur, interim cum qualiscunque alias iridis
eminet color, semper alii interspersi cernantur, hæc lu-
cis modificatio variè observabilis à diverso processuum
ciliarium tanquam filamentorum tenuissimorum situ
dependere videtur; & quod à diversa inde eveni-
ente radiorum lucis reflexione hæc filamenta eô modô
sita radios lucis in tales colores disponant, quema-
modum id *Dn. Brigs* per analogiam cum aliis phœno-
menis factam illustrat, ubi tum sericum album per mi-
croscopium varios colores prodire notat, tum eôdem
ritu avium plumas versus suas extremitates & purissima
plantarum germina seu flosculos aliquando colores pul-
cherrimos repræsentare asserit in *f. ophthalmogr.* p. 53. An
autem iridis varius observabilis color à temperamento,
& certâ terræ plagâ dependeat, quemadmodum *celeber-*
rimus Brigs in *sua ophthalmogr.* p. 49 iis qui præfervidæ
indolis sunt, ab adustâ nimis & torridâ sanguinis parte
huc

huc copiosius advectâ iisdem nigram tribuit, ut in
iis, qui intra tropicos degunt, cum interim Germa-
ni, Angli &c. Boreales terræ partes incolentes, (in qui-
bus hæc pars uveæ à debiliore calore minus excoqua-
tur) iride ut plurimum cæsiâ potiantur, ego hodiè
non determino, sed id tantum addo, quod uvea atrò
quasi pigmentò obducta sit, & ab illa nigredine & ipsi-
us pupillæ dependeat apparens nigredo.

Uveam excipiens tunica, versus ambitum si nu-
merus instituat, est sclerotica, hæc ab exteriori ner-
vorum opticom cortice durâ scil. matre compacta &
firma formata totum cingit oculum, & antè, ubi
uveam tegit, diaphana corneæ nomen obtinet. Huic
porrò scleroticæ proximè annexi musculorum ocu-
lorum tendines sunt, & cum ex iis musculorum tendini-
bus expansis membrana tenuis demonstrari possit inno-
minata, aliis tendinosa membrana vocatur.

Omnes autem recensitæ tunicæ extimâ tanquam al-
bò involucrò includuntur tunicâ à pericranio orta, hæc
adnata s. conjunctiva dicta antè album oculi con-
stituit, ad regionem iridis terminata reperitur, &
arteriis & venulis copiosissimis gaudet, quæ in oph-
thalmia distentæ satis dilucidè conspiciuntur, quemad-
modum & corneæ tunicæ vascula sanguifera esse co-
piosissima experimentis est evictum, ut inter alios
quoque celeberrimus Tubingensium Consiliarius &
Medicus *Dn. Elias Camerarius* ceram rubicundam ra-
mulos vasorum corneæ sanguiferorum plurimos se traje-
cisse, & in uveam quoque pluribus minutissimis ac
capillaribus verè ramulis eam transisse, ipsiusque nigre-
dinem egregio subtilique striarum minimarum rubore
C distin-

distinxisse in *S. Elect. Medic & Phys. specim. diff. Epist. 9.*
p. 98. afferat, quemadmodum quoque sæpius jam no-
minatos ductus aqvolos tanquam hujus humoris ca-
naliculos ex arteriæ carotidis internæ trunco altero an-
trorsum per nervum opticum, quò cum cranium de-
novo perforat, excurrente oriundos, & corneam su-
perius perforantes, porro uveam & potissimum iridem
aggredientes in iis, post varios eorum anfractus hu-
morem aqveum destillare experimentis probat *clariss.*
Nuckius de duct. Aqvof. ocul. p. 108. & seq.

Ex his igitur variis & humoribus & tunicis ad us-
que miraculum constructus oculus inservit visui, dum
radii lucis ab objectis reflectentes per corneæ diapha-
num & humores debite refracti in expansam proximè
ab ipsis nervis opticis retinam objectorum depingunt
imágenes, ad eum modum, quò per cameram obscu-
ram rerum imágenes per locum umbrosam in albo pari-
ete opposito solent depictæ conspici, unde etiam uvea
ideò nigra est, ut radii in oculum dimissi obumbrentur,
vel ne juxta mentem *Renati des Cartes in f. dioper. p. 75.*
§. 7. hi ab oculi fundo eò reflexi inde reverti possint,
& confusam efficiant visionem s. alter radius lucis al-
terius actionem turbet, vel ne juxta *Brigs* sententi-
am *in f. opthalmogr. p. 46.* radii in visione ab objectis
lateralibus provenientes superflui concurrant, sed hoc
ritu absorbeantur.

Ut autem, quamdiu omnia in oculo quoad humores
humorumque situm & tunicas ritè disposita sunt, visus
tamdiu integer est, ita quamprimum in quacunque ejus
parte læsio fit, facile simul visus vel turbatur, vel pror-
sus amittitur; probant id tot observationes quotidie
eveni-

evenientes, quot desiderari possunt. Omnes autem ut hic recensere modos nimis esset prolixum, hinc tantum hodiè attendo ad eos, qui nostro casui non prorsus alieni sunt, ubi tunicarum scil. vitio oculi & deformitas, & visus turba aut privatio inducitur, hinc enim vel à tunicâ corneâ ruptâ procidentia oculorum fiunt deformes, cum effusionis humorum periculo, quale quid recensent *Forestus obs. Lib. II. obs. 24. p. 31. & in Scholiis seq. Capivaccius Med. Pract. Lib. I. c. 33. p. 273. & Dolans Encyclop. Chir. rat. p. 175.* vel oculus è tunicis nimium tensis tandem crepat, & sic post deformem tunicarum dilatationem omnium humorum fit effusio, quod notat *Schenckius Lib. I. obs. de oculis.* Vel à tunicis intus aliquibus ruptis sive laxatis fit oculi insignis procidentia, ut *Cornel. Celsus, Trincavellius, Fabricius Hildanus, Tulpius* aliique id referunt, in quibus omnibus deformitatem ferè semper visus comitatur privatio, non tantum, quando humores effusi sunt, sed etiam quando tantum suo turbati sunt situ, quemadmodum mihi id observare contigit in Viro juvene, cum ipsi cum alio luctanti & in terram projecto oculus dexter alterius calceamento tunderetur. Et quamquam *Schenckius* referat, quod iste æger, cui juxta observationem *Lib. de ocul. p. 173.* tanta utriusque oculi facta sit procidentia, ut per eos suis cavitatibus excidentes & ad genas usque propendentes, visum inoffensum servaverit; non tamen inde in aliâ oculorum vel dilatatione, vel procidentia idem argumentari licet; quia hoc in casu oculorum humores suo situ non turbati fuere, ut refractione per eos necessaria vel planè sublata,

vel ita turbata, ut visus effectus deficeret, quamvis ob tunicarum & ipsius nervi optici elongationem conveto fuisse modo visum, probabile non sit.

Unde quoque in HYDROPTHALMIA, quæ tunicarum ex humoris aquei solito copiosiori intra oculi cavitatem affluxu facta præternaturalis dilatatio est, & cujus in *Ephem. Germ. A. N. C. dec 2. Ann 6. p. 159. obs. 70.* celeberrimus Giesensium Medicus & Professor *Valentini* ex observationibus Dn. *D. Wesem* Practici Francofurtensis meminit, & quam similem quoque recenset pluribus circumstantiis *clarissimus Nuckius* in *tract. de ductibus oculorum aquosis cap. 2. p. 115. & seq.* & oculorum deformitas & visus turba, aut privatio observare contigit; hinc hydrophthalmicus Anglus nobilis objecta sensim & sensim obscura magis videre cepit, quò magis in suâ circumferentiâ quotidie extendebatur oculus, ejusque moles in tantum augebatur, ut jam altero tanto major appareret, & magna sui parte extra orbitam prominere, qui uterque effectus, ut è tali insigni hydrophthalmia ex gravi quodam ictu producta sequebatur, ita neuter defecit, cum matronæ cujusdam Hagienensis honestissimæ oculi bulbus è prægressâ gravi ophthalmiâ non adeò quidem extensus, sed ejus loco tribus protuberantiis cornuum in modum oblitus conspiceretur, observante *Nuckio. cit. lib. p. 125.* quæ ad unam omnes minores redditæ sunt, cum una ex iis acus beneficio pertunderetur.

Hæc omnia recensita dum occasione hujus præsentis hydrophthalmiæ incipientis casus mecum penitus ponderabam, quàm facile aliàs ad usque miraculum formatus oculus lædi, & quam stupendæ læsiones

læsiones enasci, istæq; ægrum & deformem & cœcū reddere possint, etiamsi consilio imminens noxa averti debeat, me eò magis tenebant sollicitum, qvò propius adveniebat hora, in qvâ mentem pro dando optimo consilio meam & ægra ipsa, & ægræ Parentes postulabant, & qvò majorem reperiebam in ferendō desideratō auxiliō difficultatem.

Accedebat porrò considerandum, si hæc incipiens hydrophthalmia relinqueretur intacta, qvò sic augmentum insigne captura, & ad eam perfectam æque properatura esset, quò casu non aliam sic admitturā curationem, qvām qvæ ut in aliis recensitum observationibus est, acu perfici potuit, cujus beneficio humoris aquei nimium collecti emissio, & sic tunicarum subsidencia qvidem fieret, sed in neutro auxilium desideratum reperibile; siquidem sic humoris aquei affluxus brevi restitutus fuisset, & jam paululum pro emissi humoris aquei modulo subsidentes oculorum tunicæ pristinam dilationem præternaturalem denuò obtinuissent, & peperissent indefinenter recidivam, quem humoris aquei emittendi actum acus beneficio toties repetitum in tali casu maxima parte sine successu debito recenset *Nuckius cit. lib. p. 123.* Et qvanqvam celeberrimo *Nuckio* post quinqvies repetitam humoris aquei emissionem id feliciter cessit, ut oculus toties acu pertusus non ad primam præternaturalem magnitudinem excresceret, cum iteratâ toties emissionem dicti humoris id impediretur, & tandem desideratam eam ab illo ultimo pertusionis tempore (qvò per immissum tubulum subtiliorem fugendo humoris aquei copia imminuta erat) servaret, ne tamen magnitudinem recidivam jam to-

ties repetitam denuò repeteret oculus toties pertusus, laminam plumbeam tali in casu optimò consiliò vocavit in auxilium, & eâ intra palpebras ad superficiem oculi affecti aptata præservabat ab ulteriori recidivâ, usque dum oculo artificiali imposito licet non visui, qui prorsus deficiebat, deformitati tamen aliquantulum consuleret.

Ut autem inductam hydrophthalmiam ad talem statum pervenire non permetterem, cum & unicuique ægræ & Parentum ejus votum esset, meum pariter consilium eò vergeret, ut interciperetur incipiens hydrophthalia. Hinc pro circumstantiarum in præsentī casu ratione de alia curandi methodo ut cogitarem, ipsa suadebat ratio; Hæc igitur me monens, omnes ut ponderarem circumstantias, humoris quoque aqveī affluxum quotidie majorem fieri & oculorum tunicas quotidie magis laxari effectu manifesto probabat, dum ad pisi majoris magnitudinem properare cernebatur tuberculum; Hinc quoties ad humoris aqveī affluxum solito majorem attendebam, toties facilis quidem beneficiò acus instituenda ejus emissio se sponte commendabat, ejusque eductio eò faciliior erat, quò tam certa, quàm quod certissima ejus erat restitutio, & sine succi chelidonii usu ad methodum *Burrhianam*, & sine ulmæ succo juxta methodum *Heerianam*, & sine alio quocunque auxilio, & optandum esset, ut crystallini vitreique humoris restitutio tam probabilis modo esset, quàm aqveī humoris certa est, & quantane omnium humorum restitutiones fierent, & quanta non inde securitas aut superbia mortalibus eveniret, cum & vitreum & crystallinum restitui humorem cum aqveo

aqueo certissima non doctrina modo, sed idem certissimum experimentum esset; Ast ut *Burrhus* suâ spe, aut arte defecit, ita nec *Liddellii* experimentum pro vitrei humoris restitutione per ovi albumen sufficebat, nec *Kerkringii* in suo specilegio Anatomico celebrata, pro restitutione humoris & crySTALLINI & vitrei ars, ab incertitudine libera erat, ut non sine fundamento eam admiraretur quidem eruditus orbis, nescius tamen erat, & adhuc est, quâ ratione illud possibile esset.

Et licet quoque omnium humorum æque facilis restitutio esset, ac ejus est cum humore aqueo, & emitterentur hinc sive omnes simul, sive tantum aqueus, nondum tamen inde auxilium desideratum multo minus certum in hydrophthalmiâ intercipiendâ sperandum erat, cum & tunicarum laxitas aut deficere simul, aut simul inhiberi deberet, cujus neutrum tamen per humoris aquei abundantis emissionem obtineri cum, posset, ego rem simul ita concipiebam, quod nec solus humor aqueus hydrophthalmiam inducat, sed & tunicae suâ laxitate inductâ simul concurrant, & sic ad minimum causæ sociæ habendæ sint, & socialitate inseparabili ut hydrophthalmiam constituent, ita quoque eâdem societate sint tollendæ.

Nam id mihi tenendum videtur, quod oculorum tunicae sint causæ modificantes humoris aquei affluxum per ductus aqueos naturalem; dum ductus aquei intra corneam tunicam demissi, & iridis fibrillas aggressi, inter illas post varios formatos anfractus suis ostiis humorem aqueum in oculi cavitatem destillant, quô situ modificatio hujus humoris aquei per tunicas oculorum satis apparet. Præterea cum nondum demonstratum

stratum sit, an ductus indigitati aqvosi ad aliorum vasorum lymphaticorum texturæ indolem valvulis gaudeant, an non? & si iis quoque gauderent, non tamen inde aqvæ humoris in affluxu naturali modificatio deduci possit; Sed quæ ductuum horum ostia ambiunt, istæ partes sphincteris loco sunt numerandæ, & ejus in cavum oculi defluxum determinant, quæ quid sic suo situ indigitatæ oculorum tunicæ uvea scilicet & cornea efficiunt. Unde laxitatem tunicarum inductam, sive ea ex causâ externâ violentâ, ut à gravi quodam ictu, sive ab eâdem internâ ut ex prægressâ gravi ophthalmiâ oriatur, humoris aqvæ affluxui præcedere debere omnino certissimum est.

Et hæc circumstantia circa Hydrophthalmiæ ortum manifestissima meæ pro curationis scopo institutas meditationes dirigebat, ut ad tunicarum inductam laxitatem corrigendam magis attenderem quàm ad augmentum humoris aqvæ affluxum, cum affectus in perfectam nondum abierit hydrophthalmiam, ut ab ejus collectâ copiâ tunicæ nimium jam distentæ essent; unde etiam ejus emissionem beneficio acus instituentam intermittebam, potissimum cum non levis esset metus, ne sub illo depletionis aqvæ humoris momento jam tum laxæ tunicæ flaccidiores evadentes eò momentò minorem ferrent resistantiam, & sic istæ ansam pro affluxu humoris aqvæ copiosiori darent, & adhuc majus brevi hâc morâ parerent tuberculum, ad perfectam & consummatam eò citius properans Hydrophthalmiam. Unde non nisi de remediis, quibus tunicarum tacta laxitas & corrigi & tolli posset, seriò cogitabam.

Primas

Primas igitur manus pro hoc scopo auxilia-
trices mihi porrigere quidem videbatur fons Phar-
maceuticus, isque etiam & ægræ & mihi eò magis
amicus gratusque fuisset, cum non tanto hic o-
pus est apparatu, nec facile tot intercurrunt mole-
stia, ac quando è chirurgico agi debet fonte; Et
videbantur adstringentia præcipua, aut ut recti-
us loquar, unica esse laxitatem tunicarum cohi-
bentia remedia; sed tantum aberat, ut ex usu
eorum interno effectus pro oculi tunicis expectari
potuisset, ut potius ventriculo & reliquis viis pri-
mis fuissent nociva, & interim ad partem affe-
ctam nulla secuta efficacia, quemadmodum nec a-
lia interna pro evacuatione aut correctione humo-
rum præscribebam, cum excepto hoc hydrophthal-
mico turberculo cæteroquin sana esset. Externè
autem adhibita adstringentia effectum eò majorem
certioremque hoc in casu vel ex eò promittere vi-
debantur, cum tunicas laxatas attingere propius,
sicque successum desideratum inducere valerent; Sed
illicò & hic impedimentum omni exceptione ma-
jus se manifestabat, quò nec ab adstringentibus ex-
ternè adhibitis successus præsumi, multò minus spe-
rari poterat.

Nam è canaliculis in glandulosos minimos
acinos convolutis potissimum superiorem palpe-
bram ambientibus per ostia ductuum Meibomia-
norum per tarsos hiantium affluens ad oculi glo-
bum lymp̃ha, quæ & elegantem oculi splendo-
rem ejusque motum servat facilem, & post aliam
ordine continuo & sine morâ succedaneam eandem

D

lym̃-

lympham à punctulis lacrymalibus reforbetur; instar indefinentis fluenti est, quæ sic appositis adstringentibus attactum oculi immediatum non interdicit tantum, sed etiam secum ea removet, unde pro tunicis à laxitate liberandis nulla ab adstringentibus efficacia, noxa autem eò major pro palpebris & carunculâ lacrymali metuenda fuisset; dum inde & tumidæ, & rubentes, & lacrymantes palpebræ evasissent, & caruncula lacrymalis & puncta duo lacrymalia angustata, lacrymarum ad nares profluxum sic impedivissent, & genam ab iis servassent aut madidam, aut si lacrymæ adstringentium externo usu fuissent impeditæ, non inane periculum fuisset enatum, anne ductus aquosi sic inde gravati plus ejus humoris pro hydrophthalmiæ augmento eructassent. Nec erat, ut syringarum ope adstringentia tuberculo hydrophthalmiam parienti applicarentur; Nam licet eâ methodo eorum accessus ad tunicas magis propior fieri videri potuisset, cum tamen nulla vis aut efficacia in instanti fieri queat, hinc eorundem eadem facilis resilitio ut fieret, necesse erat, ut facilis appulsus fuisset factus. Sic adstringentia fuissent & ausu frustraneo appulsa, & insuper ad ulteriorem magisque nocivam tunicarum subsecuturam laxitatem certissimum dedissent omen, & peperissent effectum sic insignis Hydrophthalmiæ ex violentiâ per syringam inductâ insigni subsecuturæ indubitatissimum.

Unde missis remediis Pharmaceuticis ad fontem recurrebam Chirurgicum, & cum inde
pete-

peterem remedia, advertebam, laxitatem tuni-
 carum oculi omnium maximè & certissimè cor-
 rigi posse, si per inductam cicatricem id fieri lice-
 ret. Ad quam sententiam vel ideò inducebar,
 cum quotidiè id in iis experiamur, qui cicatri-
 ces notabiles gerunt, quod præ aliis à cicatrice im-
 munibus locis fibrarum abbreviatio & sic notabi-
 lior angustia in parte cicatrifata reperiatur..
 Hinc quò magis id ruminabar, eò maiorem pro
 laxitate tunicarum oculi ad hydrophthalmiam
 properantium per cicatricem tollendâ obtinebam
 & sententiæ & consilii mei confirmationem. In
 cicatrice igitur huic tuberculo oculi inducendâ
 omnem curationis spem & successum certissimum
 ponebam, sed ut porrò Cicatrix non nisi per vul-
 nus obtinetur, ita & in oculo Virginis Genero-
 fissimæ vulnus ex instituto prius parandum esse,
 erat inevitabile cicatricis antecedens, & tanquam
 unicum pro obtinendâ cicatrice felici & sic inter-
 cipienda per eam hydrophthalmiâ certissimum
 auxilium. Interim dum hæc ita meditabar, &
 rationis trutinâ sæpius & iteratò examinata pro
 executione concludebam, tantum simul aberat,
 ut & hæc sententia ab aliis difficultatibus mane-
 ret libera, ut potius non levibus stipata difficulta-
 tibus ac sociata periculis se simul manifestaret..
 Inter eas prior erat non levis difficultas, quod
 licet providâ manu vulnus institui deberet, fa-
 cilè tamen præter intentionem & necessitatem
 vulnus aut majus, aut profundius fieri posset, cum
 ægra aut præ timiditate, aut ferendi impatientiâ

oculi situm mutaret, & simul chirurgi manum redderet dubiam, nam oculi unius ad alterius oculi motum idem facilis motus est. Posterior immediate succedanea post vulnus inflictum erat difficultas, quod post providè & circumspectè inflictum vulnus nihilominus tuberculi protuberantia adhuc major evitari non posset, nam cum tunicae oculorum extimæ adnatæ fibræ per vulnus jam divisæ & separatæ non amplius resisterent, hæc vulnus excipiens major tuberculi protuberantia ad hydrophthalmiæ augmentum majus ansam datura esset inevitabilem.

Verum enim verò, quamvis necessitas tot difficultatibus & periculis sociata durum semper telum sit, ejus tamen quoque indolis reperitur, ut & circumspectos svadeat actus, & cum circumspeditione susceptos eos admittat etiam felices. Hinc ut utrique consulerem difficultati, præmissâ ad ægram omnium difficultatum demonstratione desiderabam, ut masculè & sine oculi concessio motu vulnus sustineret infligendum.

Ad repetitam igitur ab ægra fidem, omnia patienter ferendi, quæ ad ejus ab hydrophthalmiâ liberationem facere possent, providô & maturô consiliô ordinata operatio Chirurgi Rostochiensis Marci Guhlîi, non infimi & circumspecti providâ perficiebatur manu, cum ægra sellæ insidens situm oculi desideratum servaret, & constantem & debitum, cum eo adminiculo, quod in cataracta removenda solet observari. Et sic palpebris oculi
meæ

meæ digitis manus diductis lanceolæ acie in ipsum tuberculum vulnus infligebatur, usque ad corneam in cornu indeclinabilis formam & duritiem elevatum. Fieri id haud poterat, quin, quod jam ante institutam mentis acie prævidebam operationem, inflictum vulnus illicò exciperet major tuberculi protuberantia, ad instar cornu diaphani; id cum adverteret chirurgus, curiositate excitatus forcipe subtili quam vocant: *Die subtilste Korn-Zange* / tuberculum levissimè tangebatur, ut ejus duritiem experiretur, sed quàm providè tangebatur, nihilominus ægra se ad hunc attactum, si major fieret non aliter sensuram esse, ac si integer oculus cum integumentis ex imo fundo eradici deberet, palàm profitebatur.

Chirurgi igitur manum curiosam de tabula & potius vulnere remedia convenientia instillari jubebam. Quæ VIR PER ILLUSTRIS in boni publici utilitatem hodiè non reticebo, sed dicam, ea ingenue, & aperiam ulteriorem curandi methodum debite. Quamprimum sic vulnus è consilio in ipsum tuberculum inflictum erat, illicò ope penicilli largâ copiâ inmittebam Tincturam è vitriolo Martis, & saccharo Saturni cum Spiritu vini paratam; & quanquam hæcce in officinis tinctura audiat antiphthisica, ut ut Phthisin minus curet, me tamen nomen huic rei planè aliàs inconveniens non deterrebat, sed vis, quam habet adstringentem, & simul ob saccharum Saturni ab inflammatione præservantem, me ut eam potissimum eligerem, com-

movebat, & effectus pro inflammationē cohibendā per hocce medicamentum eò felicior erat, cum tantillum camphoræ huic compositioni mea ex ordinatione jungeretur. Elui igitur vulnus penicillō hāc tincturā madidō frequentius, & insuper linteum carptum vulgò *Corpey* eā madidum vulnere imponi jubebam, cum superimpositā ad superficiem oculi affecti intra palpebras aptatā laminulā plumbeā, & totum oculum postea linteo multis vicibus complicato, quod germanicē *Eine compresse* vocant, eoqve collyrio ex croco metallorum cum aqvā chelidonii sief albo, opio, saccharo saturni, & camphora parato, madido tegebam, additis, prout decet, debitis oculi subligaculis.

Hac methodo oculi vulnus ex consilio institutum postea quotidiē bis deligabatur, eò felici successu, ut initio post vulnus magis protuberans tuberculum post aliquot dies imminui inciperet, quō visō insisitebam eādē methodo, usque dum vix tuberculi vestigium appareret, sic axungiam viperinā vulnere bis in die inungi curabam, cum superimpositā laminā plumbeā: Et quamprimum consolidationis initia in vulnere advertebam, remissa subinde laminā plumbeā sub usu frequenti axungiae viperinae solo linteo complicato collyrio supra descripto madido deligari jubebam, ut modo oculus magis quiesceret, nec ad quemvis aliās celerem motum ejusque perennitatem adeò facilis esset, & factum per DEI gratiam

tiam est , ut cicatrice apparente tuberculum hydrophthalmicum prorsus dispareret , & cicatrice absolutâ ne minima ejus vestigia reperiri possent, & oculi formositate & visu inoffenso servatis, ita ut isto in oculo nihil desiderari, nec ulla adverti læsio possit, nisi cicatricula per inferiorem palpebram deorsum versus retractam aut fili serici, aut lineolæ subtili calamo ductæ instar demum apparens ferè post quinquennium sine omni mutatione adhuc hodiè conspiciatur.

Qvis quæso hoc rerum felici successu magis gaudere poterat quàm de oculi sui formositate, & visu sollicita jam præservata ægra Generosissima, & cum eâ ipsius solliciti Parentes? Ego autem mihi gratulabar de dati consilii successu felici, quod in casu tam difficili Theoriam praxis confirmaverit, & quod hac simplici curandi methodo hydrophthalmia felicissimè sit intercepta.

Atque sic VIR PER-ILLUSTRIS & EXCELLENTISSIME in Generosissimâ Virgine HYDROPTHALMIÆ INTERCEPTÆ integram & historiam & ejus curationem fideliter recensui, & eam ut aut non planè inutilem, aut non planè quotidianam boni publici causâ Tibi æqvissimo rerum tum Physicarum, tum Medicarum, Æstimatori, & Regiæ societatis scientiarum Prussicæ Præsidi dignissimo consecro; Et cum reapse jam expertus sum, majore me affectu à Te diligi, quàm vel credideram unquam, vel ingenii mei mereri potuit tenuitas, gratiam me Tibi maximam & habere

bere & debere hisce profiteor, & Tuæ ulteriori benignitati atqve favori & me Respondentem meum è Fratre meo nepotem charissimum, eâ, quâ par est, humanitate & omni meliori modo commendando; qui ad externos abituriens simul mei causâ præsentem hanc dissertationem Epistolicam eâ, quâ fas est, veneratione Tibi offeret, & coram & meo & suo nomine declarabit, quod nos uterqve meritorum tuorum memoriam religiose simus conservaturi, nec passuri unquam, ut & benevolentiae & observantiae studiis judicemur posteriores.

Quod superest, VIR PER-ILLUSTRIS, sospitet Te summum Numen, & perenni beet felicitate, quod animitus voyet.

Per-Illustris & Excellentissimi
Tui Nominis,

*Dabam Rostochii
d. 16. Aug. 1713.*

Cultor Sincerus

JOH. ERNESTUS SCHAPER.